



S. Odilo Abbas. Cura defunctorum

[Köln], [1654]

S. Aldegundis Virgo. Desiderium plenæ expurgationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71907](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71907)



S. ALDEGUNDIS VIRGO.

Desiderium plena expurgationis.

Concede fidelibus ægris, misericors
Deus, ut quorum corpora morborum
atteruntur flagellis, eorum animæ iis-
dem expurgatæ, S. ALDEGUNDE de-
precante, æternæ beatitati præpa-
rentur.

Ora pro letali morbo affectis,



ALDEGVNDIS, SS. Walberti & Bertini
 filia, apud Hannones nata, servans
 virginitatis propositum constanter tenuit
 pluribus ad id è cælo favoribus, & salubri-
 bus à S. Waldetrude sorore monitis confir-
 mata. Quæ sibi ad nuptias parabat sollicita
 mater, convertere amabat ad usum sacrorum
 & illarum frequentiore mentionem di-
 citur ferre non sustinens, in solitudinem tran-
 sivit, Sabi siccis pedibus transito. Ibi visente
 ad se matrem in vota quoque sua flexit,
 ea mortua à SS. Amando & Autberto apud
 Altum-montem, ubi pater suus monachus
 agebat, velum accepit; quod sub colum-
 specie Spiritus sanctus attulerat. Dein Ma-
 bodiense monasterium fundavit, in eoque
 tum alias multas virgines tum neptes suas
 SS. Madelbertam & Adeltrudem instituit.
 Denique vitâ anno 684 S. Amandi animam
 cælum ferri, ipsa se haud diu supervictura
 audiens ex S. Gislano; petiit à Deo in
 vita purgari, & cancerum in mamilla ob-
 nuit, quo exesum corpus Solræque contu-
 mulatum parentibus atque sorori, dein
 translatum est Malbodium, ubi solenniter
 denique elevatum fuit an. 1161.

*Amplius lava me (Domine) ab iniquitate
 mea, & à peccato meo munda me. Ps. 50.*